



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 2. Papa Helvetios Gallis conciliare frustra conatus, pacem inter
Cæsarem, & Venetos procurat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

tentus erat, suaque commoda, ut sibi Sæcul. XVI.
 procuraret, nil intentatum reliquit (*). A.C. 1514.

§. II.

Papa Helvetios Gallis conciliare frustra conatus, pacem inter Cæsarem, & Venetos procurat.

Ceterum Leo Pontifex incassum suam Marian. lib. 30. n. 106.
 impendit operam, ut Helvetii deposito odio Gallis adhærerent: Hi enim Mediolani Ducatum Maximiliano Sfortiæ reddi constanter postulabant, quem tamen Ludovicus eidem cedere renuebat: Pontifex igitur, cum pacem cum Helvetiis conciliandam desperaret, Venetos sollicitavit, ac rursus eadem concordie pacta proposuit, quæ jam olim inter Cæsarem & Rempubicam cæpta,

A 3

po-

(*). *Ita comparata sunt lividorum hominum ingenia, ut in iis, quibus infensi sunt, iustitiam interpretentur severitatem ex privato odio progenitam, benevolentiam vero proprii quæstus utilitatisque studium: Quis enim conciliabit, una ex parte Papam unice desiderasse, Gallos ex Italia pellere, alia vero ex parte nil ardentius sollicitasse, quam ut Gallici nominis hostes in Italia prosperis armis adversus Franciam pugnantes pacem cum Gallis ineant? quæ tamen inter se pugnancia Continuator uno halitu profert.*

Sæcul. XVI. postea vero interrupta fuere: Cum vero **A. C. 1514.** nil antiquius haberet, quam ut Galli ex Italia pulsi Mediolani Ducatum recuperare præpedirentur, haud sibi prosperum consilii successum polliceri poterat, quamdiu Respublica Gallis unita esset. Jam anno priori Veneti exercitus Hispani potentia pressi, Papam controversiæ arbitrum seligi consenserant, eundemque ipsemet Imperator acceptabat, illo tamen abhinc tempore haud ultra hoc negotium urgebatur. Ferdinandus quoque consilia, quæ Helvetii agitent, edoctus, sibi que soli belli molem impendere veritus, unius anni inducias cum Gallis innovavit, iisdem legibus, quibus præcedenti anno eadem concedebantur, uno tantum excepto secreto articulo, vi cuius Ludovicus hoc anno Mediolanum non invaderet. Pontifex hujus clausulæ ignarus, has inducias nonnisi cum Mediolanensis Ducatus dispendio firmatas fuisse verebatur, quapropter denuo arbitrii iudicio standum proposuit, summisque precibus ab utraque contendentium parte compromissum fieri impetravit, quo infra unius anni spacium dissidia Cæsarem inter & Venetos componerentur, ea lege, ut interea elapso saltem proximo mense ab armis cessaretur.